

Fructibus æternæ donans & divite vitæ  
 Latitiâ, majus qua meliusque nihil  
 Prosperitas nostra est, bona quod cœlestia nobis  
 Certo parta nitent sanguine CHRISTE tuo.  
 Quid citius transit quam transit vana voluptas?  
 Absq; DEO firmum est ecquid in orbe? nihil.  
 Fausti erimus posthac, oculiq; optata videbunt  
 Nostri, spe tali fortius aspra fero.  
 Æternæ hætedes vitæ nos esse futuros,  
 Scimus, qui CHRISTI pars quotacunq; sumus.  
 Ah quid delicias mundi, quid falsa moramur  
 Gaudia? quæ, citius spe ruitura, volant.  
 Vera pijs cœlum patria & schola summa: perennis  
 Emicat hic Doctor filius ipse DEI.  
 Hic rursus Generum quoq; complecteris ovantem,  
 Ultima cum certo venerit hora die.  
 Contigit exequijs ejus quodcunq; sepulchris  
 Est gratum. Pietas officiosa fuit.  
 Ipse ego decumbens tam mœsti tempore luctus,  
 Spirans & sperans thura rosasq; fero,  
 In cineres violas spargens, qui vivere CHRISTO,  
 Et CHRISTO summum fidere dico bonum.  
 Hocce bonum Genero est, bona quod mundi omnia vincit:  
 Vitæ post fragilis vita beata dies.  
 Altera vita, meus sit amor, mea vita, meum cor,  
 O sibi quid melius speret & optet homo?

---

EPICEDION

REVERENDI CLARISSIMIQUE VIRI  
 DN. DAVIDIS LOBECHII S. THEOLOGIÆ  
 Doctoris & Professoris in Academia Rostochi-  
 ensi, & in Ecclesia Iacobæa Archidia-  
 cono fidelissimi.

O Gravis, ô insperati tristissima luctus  
 Fama! quid audimus? quid Libitina facit?

F

Præco